



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 2. Auari, luxuriosi, sæui talione puniti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

tur, quos non licet transilire. Prudentes quoque Confessarij, gulosis & ebriosis ieiunia, abstinentiam, temperantiam; luxuriosis & libidinosis cilicia, humicubationes, flagella imperant. Quibus in rebus etsi contraria contrarijs curari videantur, tamen ea ipsa corporis membra castigantur, quæ sunt prævaricata. Cur non iustè sic iudicent homines? ita ipse quoque olim iudicabit DEVS. Nulli enim in inferis locis sensus suo cruciatu carebunt, qui hîc fuerunt instrumenta flagitiorum.

§. II.

Anari, luxuriosi, sani talione puniti.

Ita Reges, & Duces, & Iudices iudicantur: nec secus fecerunt subditi Iudicum, Ducum, Regum. Rufinus, apud Arcadium præfectus prætorio, quia auarissimus fuit, & manus ad opes colligendas nimium extenderat, à militibus exercituque Romano interfectus est. Capite verò Rufini resecto, & lapide in os eius immisso, hasta id infixerunt, & in sublime sustulerunt. Dextram quoque eius abscissam, per urbem circa episcopus officinas circumtulere, verbis his utentes: DATE STIPEM INEXPLEBILIS AVARITIÆ VIRO. Et ridicula ea mendicitas multum satis auri collegit.

Niceph.
Callist.
l. 13. hist.
cap. 13

git. Perlibenter enim in incundo & grato spectacula homines aurum contulerunt. Ac Rufinū quidem imperij affectatio ad eiusmodi vitæ finem perduxit. Sublimatus est, sed in hasta, ut caput eius emineret, qui caput omnium esse voluit; & in ignominiam dextra eius defuncti mendicavit, quæ ad nimiam potentiam, viua pecunias collegit. *ἢ ὡς γὰρ τῆς ἀμαρτάνης, ἢ αὐτῶν καὶ πᾶσι δέεται.* Sic superbia, sic auaritia mercedem recepit, pœnâ talionis. Quod & experta est libido Valentiniani Hesperix Imperatoris. Cū enim vultu venusto & rebus alijs ornatam maximè in matrimonio haberet coniugem, iunioris Theodosij filiam, Eudoxiam, alienas nuptias turpiter fœdavit &c. tandem vitam fœdissimâ morte finiit. Maximus enim, quod Valentinianus vxorem eius stuprasset, remotis ijs, qui impedire poterant, Imperatoris regiam ingressus illum interemit, & coniugem eius Eudoxiam rapuit, eidemq; per stuprum vim intulit. Per quæ enim quis peccat, per eadem etiam castigatur, ait historicus. Hæc talio debebatur luxuriæ. De ira, vel odio, vel immatura vindicta, apud Zonaram legimus, Leonem Armenum Græcum Imperatorem impium, quadam ratione vitam cum impe-

Idem Ni-
cephor.
l. 15. c. 11.

Zonaras
l. 3.

imperio amisisse. Ipso quippe Natali Christi die, de Michaële Balbo maiestatis reo sumpturus supplicium, deprecante Augusta, distulit pœnam, sine dubio consilio vindicis DEI: quandoquidem in ipsum vertit. Etenim nocte insequenti Balbus è carcere elapsus, contrahit veterum coniuratorum manum, cum quibus sub monachorum habitu sicas ferentibus, Imperatorem in symphonicorum choro canentem tollit è medio. *Eo modo, quo perimendus erat, elanculum perimit peremptorem.*

Ita Alexander Pellegrini in Matth. Euang. c. 1. Paradoxo 12.

§. III.

Politici talione luculenta puniti exemplum.

Quoniam autem sæculum nostrum ferax est eiusmodi machinationum, quæ merito talionis secururæ minis terrendæ sunt, accipe aliud politicum eiusmodi exemplum ex Hugone Falcando, de rege & regijs viris, qui etiam non nominati facile venire possunt in coniecturam. Rex quidam antè, quàm fatis concederet, quia filium relicturus erat regni successorem, admodum iuuenem, cum sciret, neminem sapere ante annos, viro ei adiunxit eruditione & prudentia claros, quorum sapientia dirigeretur. Quos ille, per atatem, & viuo patre,